



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

Dispositionis Et Perioches Historiæ Evangelicæ Secvndvm Ioannem,

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

Cæterū quod ipse Lucas historiā non longius prosequutus est, non modo ea uidetur esse caussa quæ à plerisq; creditur, quod morte interceptus, plura non potuerit: sed quod eatenus illā persequi uoluit, quatenus religioni Christianæ conduceret ac necessarium uideret: id ergo cum hætenus satis fideliter præstitisset, non erat quod Lectorem copiosiori oneraret Historia. Iam etsi Hispanias & Gallias deniq; ipsam Italiam peragrasset Apostolus, ipseq; Lucas et hanc profectiōē hisce adiecisset, quid obsecro post locorū, urbium & miraculorum diuersitatem ab ijs quæ dicta sunt noua aut diuersa dixisset? maxime cum uideamus in superiori historia eandem rem decies esse repetitam. Christus enim heri & hodie Heb. 13. idem in secula. Quorsum ergo opus erat multa lectorū molestia eadē subinde oberrare chorda? Sanè prudentiæ scripserim quod hætenus duntaxat historiā scripserit.

Cur Lucas non continuerit historiā,

DISPOSITIONIS
ET PERIOCHES HISTORIAE
EVANGELICAE SECUNDUM
IOANNEM,
LIBER I.



VI aliquid ratione certa & insigni cum fructu exponere uolunt, expositioni suæ

Summa totius euangelij.

F

E V A N G L I V M

propositionem scopum seu summam totius rei exponenda
 de præfigūt, in quam auditores mentis aciem omnemq;
 cogitationem intendentes sciant quò pertineant omnia
 quæ dicuntur, & quis eorū sit usus. Expositurus ergo
 Ioannes apostolus res Christi domini, id est dicta & fa-
 cta eius, totumq; redēptionis nostræ mysteriū, historica
 narrationi propositionem præponit, copiose quidem
 explicatam, & hæc serè comprehendentem, Verbum
 dei, id est filius dei, Iesus Christus dominus noster, de quo
 dicturus sum, ab æterno erat apud patrem, & est deus
 uerus, per quem omnia sunt condita, idem natura sua
 uita & lux est. Nos quia ex natura humana uitioq; pec-
 cati, tenebræ & mortis mancipia sumus, descendit uer-
 bum uel dei filius e' cælo, uenit in mundum, incarnatus,
 & homo factus est, ut per ipsius uitam & lucem uiue-
 rent & illuminarentur, Iudæi in primis, quibus Messias
 peculiariter est promissus. Quoniam uero hi ipsum re-
 pulerunt, uitæ & luci datæ nolentes credere, iccirco fa-
 cultatem præstitit omnibus fide uera Christum recipien-
 tibus, cuiuscūq; nationis sexus ætatis ac conditionis ho-
 minibus, filios dei fieri, hoc est uitæ & omnium cæles-
 stium bonorum hæredes adeoq; cohæredes Christi, qui
 ueritas, gratia, redemptio, et plenitudo, siue consumma-
 tio est omnium credentium, in quo uno omnia habent
 fideles quæ ad pietatē & uitam pertinent. Hæc summa
 est

est totius euangelicæ narrationis, Per fidem inquam in Christum condonari peccata, & uitã concedi eternam.

Huic capiti attextit Ioannes ipsum narrationis siue historiae euangelicæ corpus, auspicans historiam à prædicatione & testimonio Ioannis Baptistæ, sicuti cæteri tres euangelistæ fecerunt. Exponit autem qualia fuerunt illius testimonia priuata, publica, & ipsis Hierosolymitanis legatis data, omnia certè eiusdem generis, utpote Ædöcentia, Iesum Christum uerum esse deum & hominem, in mundum propter peccatores missum, ut credentes saluos faciat, proinde credendum esse in Christum. Ideo uero & discipulos suos à se ablegat, & Christo domino consecrat, ipso uidelicet factò ostendens, huc pertinere omnem eius doctrinã, ut Christo credamus unico totius orbis saluatore. Et quia Baptista solum Christum prædicauit, & in hoc uno omnia pietatis & uitæ ostendit, præteritis rebus Baptistæ, accelerat Ioannes euangelista ad ipsas res Christi describendas, ac in initio indicat quomodo exceperit eos qui instigatore Ioanne Baptista ipsum fuerant sequuti: item quæ studia & opera fidelium, plurimos uidelicet Christo adducere. Ibidem perstringitur uocatio quorundam discipulorum, in quorum exemplis discimus quomodo uocentur homines ad fidem euangelij, & quales esse deceat qui euangelica doctrina sunt instituendi.

Testimonia Ioannis Baptistæ de Christo.

E V A N G E L I V M

Cap. 2.

Christus
aperit se.

Instituit dominus suos uerbis & signis. Verbis quidem apertis, attestans se esse credensibus scalam & ianuam ad uitam beatam. Signum præterea edit magnificentum in nuptijs, aquam conuertens in uinum, ut eo facto suam declararet potentiã, quod is sit qui quæ uult uerbo perficere potest, ut secure ei inuitantur quicunq; ipsi fidunt. Hæc ueluti priuatim inter notos & familiares designauit. Cæterum non uenerat ut uno aliquo in loco paucis, sed in Iudæa uniuersa adeoq; toti orbi innotesceret, iccirco Hierosolymam genis metropolim & caput proficiscitur, atq; omnibus innotescit facto uere maximo & instituto suo maxime accommodo. Cum enim in mundum uenisset rex & sacerdos Messias omnium in orbe fidelium, & Messia erat religionem repurgare à corruptione, & suos liberare à tyrannide & superstitione, proxima in Templum abijt augustum, & ex illo ementes eijcit atq; uendentes, religionem repurgans ac ita sese expectatũ Messiam esse indicans. Grauius autem id tulere religionis præsidēs, signum postulantes, quo se approbet eum esse quem se uideri uolebat. Ipse de morte & resurrectione sua disputat, quanquam testis illius. Et crediderunt quidem domino non pauci, sed stimularunt interim alij fidem, affectum potius corrupti mentis suæ sequentes quàm spiritus sancti impulsus, quibus ideo se concedere uolebat dominus, quod con-

fili

filia & cogitationes cordis ipsorum non ignoraret, re-
busq; se seruaret melioribus. Hæc primis duobus tra-
ctantur capitibus.

LIBER II.

DILIGENTER prosequitur apostolus ea
quæ prædicationis initio & dixit & fecit do-
minus Iesus, ut sic ecclesiæ iudiciū recte informet, opti-
me sentiendi de religione Christiana, eiusq; principijs,
quæ ut aliàs sæpe, ita hic ferè solent esse difficillima.
Exposuit postremo quæ publice & palàm in templo dei
designauit Iesus, & quæ in turba disputauit, dixit & fe-
cit, exponet nunc priuatum quiddam. Nam priuatum
colloquium instituit dominus cum Nicodemo legis do-
ctore, quem, quod dici solet, fundamentaliter, & à pri-
mis initijs solide, plene, et simpliciter erudit, totam syn-
cera doctrinæ methodum contexens, ac docens regnum
dei introire cupienti in primis opus esse renascentia.
Naturam enim nostram ac primam natiuitatem nostrā
nihil in se habere lucis aut uitæ. Cæterum renascentiam
illam constare spiritus sancti renouatione, cuius operis
saluandus liquido cognoscit nihil in uiribus esse hominis
quod iustificationem & uitam mereatur beatam, alieno
merito parari illa, nempe per Iesum Christum, quem no-

Colloquia
domini qui-
bus diluci-
de suos do-
cet.

Cap. 3.

EVANGELIUM

bis gratia & dilectio dei nullum nostrum meritum dedit, & in mortem quidem crucis probrosissimam dedit, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Ibi docet fidem in Christum ueram bonam operari opera: incredulitatem contra, causam esse omnis impietatis, adeoque damnationis. His absolutis proximis tractat apostolus illis agnitam questionem de purificatione. Cuius quidem occasione recenset quintum & illustrissimum Ioannis Baptistae testimonium, quo ille testificatus est fideles gratia Christi plene purgari. Huc enim esse Messiam uerum, in quo orbi dederit pater quicquid sit uerae salutis, ideoque credentes in Christum seruari, damnari contra incredulos. Istis admirando prudentissimoque consilio aliud & nouum colloquium attexit, & ipsum priuatum, domini & Samaritanæ mulieris.

Cap. 4.

Recepit & erudiuit in 3. cap. Nicodemum hominem clarum, Iudæum, doctum, & non aspernandæ sententia uirum: nunc uero recipit & instituit mulierem obscuram, gentilem, indoctam sceleribusque pollutissimam, uidelicet ne quis ex priore exemplo colligeret dominum sanctis modo seruandis incarnatum uenisse in mundum. Ex hoc enim intelligimus, illum etiam natum esse peccatoribus, nec Iudæis modo, sed & Gentilibus, adeoque & Samaritanis. Colloquium ipsum plurimum habet iucunditatis & suauitatis. Mirifice sese peccatoribus

triciis animo insinuat dominus: duo tamen potissimum agit. Principio ostendit se fontem esse boni & omnium gratiarum, e quo quicumq; bibant, exaturentur plenissimi. Deinde refutato cultu dei falso, docet quis sit uerus dei cultus: simul autem manifestissima confessione profitetur se uerum esse Messiam. Protinus autem fit peccatrix gratiæ diuinæ concionatrix. Euocat enim Sycharenos siue Sychimitas in occursum domini regis siue Messiae. Interea dominus apud discipulos disputat de uocatione gentium, deq; apostolatu in gentes. Certè Samaritani recipiunt dominum. At Iudæi, præsertim ciues oppiduli Nazareth, eundem aspernantur atq; repellunt. Quare adeo non offenditur dominus, ut male meritis Iudæis nihilo segnus beneficiat. Concedens enim Canam Galilææ regulo cuidam filium iam iam agentem animam seruat incolumem, eo facinore præclaro comprobans q, fidentes ipsi in uita possit seruare, utpote uitæ et omnis boni author.

LIBER III.

INSIGNES in uera religione Christiana Christi domini institutiones & disputationes hucusq; cum Nicodemo & Samaritana habite, quasi priuatae fuerunt. Sequuntur proximis duobus capitibus beneficiæ eiusdem Christi domini publica, quæ occasionem

Cap. 5.

E V A N G E L I V M

præbent publicis disputationibus, in primis memorabilia
libus, & his quoq; de iisdem, id est de maximis fidei no-
stræ capitibus institutis. Alterum beneficium præstat
homini afflictissima ualitudine à multis iam annis mi-
serrime depresso, quem benignus incolumi sanitate do-
nat. Sed quia hoc fecerat sabbato, calumniantur phari-
sæi beneficiū, & accusant benefactorem uiolati sabbati.
Dominus causam suam agens, ostendit patris sui æterni
dei ueluti exemplo se non uiolasse sabbatum. Ex qua
responsione decerpunt nouum accusationis caput, im-
pingentes domino crimēn læsæ maiestatis diuine, atq;
blasphemie in deum. Vnde multis argumentis ijsq; ui-
uacibus & euidentissimis approbat deum esse patrem
suum, ac se natura esse dei filium, & patri per omnia
æqualem, deum uerum, uiuum, & æternum. Sub finem
tamen eius demonstrationis declinat ad obiurgationem
sue expostulationē cum Iudæis, aperitq; causas huma-
næ incredulitatis & perfidie, studium uidelicet gloriæ,
opum, & uoluptatis, horrendas simul his comminatio-
nes adhibēs, grauißimas uidelicet pœnas illos ultori deo
aliquando daturus.

Christus ue-
rus & nas-
turalis dei
filius.

Cap. 6.

Alterum beneficium maxime publicum est. Exhi-
bet enim epulum mirificum & planè regium aliquot
hominum millibus in deserto, manifestissime sic decla-
rans se esse illum benedicti dei adorandum filium, cuius
uirtute

uirtute & prouidentia aluntur nutriunturq; uiuentia
 uniuersa. Populus autem non intelligens tanti beneficij
 iustum finem, pro sua crassitie, uult dominum creare re-
 gem Israelis. Sed dominus qui non uenerat regnaturus
 in humilitate, in terris deniq;, aut in Iudæorum modo
 regione, aut regnum accepturus ab hominibus, sed glo-
 riosus, cœlestis, in cœlo simul & uniuersa terra, om-
 niumq; creaturarum uisibilium & inuisibilium, ab ipso
 deo patre coronatus rex futurus, secedit & abdit se in
 montem solus. Discipuli ubi lateret aut quò profugisset
 dominus nescientes, nauigio Capernaum contendunt:
 quos sequutus dominus marinis fluctibus, ceu solidæ ter-
 ræ inambulauit, & periclitantibus in lacu succurrit,
 hoc quoq; argumento diuinam suis uirtutem commen-
 dans. Postera die nauibus sequuntur & turbæ, suis ser-
 monibus domino occasionem suppeditantes differendi
 publice in schola Capernaitica de compendio & sum-
 ma religionis nostræ, nempe quod ipse uerus dei filius
 cœlitus sit missus à patre, ut totum genus hominū uiui-
 ficet, & in uita conseruet, quod inquam incarnatus sit
 pro nobis, quod in mortem pro nobis, carnem suam &
 sanguinem suum obtulerit, ut omnis qui credit in ipsum
 habeat uitam eternam. Hoc uero maximū fidei nostræ
 mysterium consinuo panis siue cibus & potus, edendi
 item bibendiq; uelamine allegoriaq; tectum proponit,

Christus cis
 bus uitæ.

EVANGELIUM

quo & rectius res spirituales ex imagine corporearum
caperentur, et hominum pectoribus inhaerent tenacius,
Porro cum illa Capernaitæ sinistrius crassiusq; intelli-
gerent, clarissime se explicat dominus diserte quid eo
orationis genere intellexerit edisserens. Deficientibus
autem ab ipso non paucis, rogat discipulos illos suos, quos
uocarat ad apostolatū, an & ipsi defectionem medita-
rentur. At beatus Petrus omnium nomine apostolorum
confessionem fecit per omnia orthodoxam, & omnia
ueræ fidei comprehendentem, hanc ecclesiæ relinquens
ut & ipsa in omnibus turbis & hæresibus sic pergat
Christum confiteri. Habes ergo in hoc libro signa duo,
tertium & quartum, quæ fecit Iesus, & descripsit Ioa-
nes: duo item maxima fidei nostræ capita copiosissime
& doctissime tractata, & quod Iesus est deus uerus,
unius cum patre essentia, et quod idem uerus est homo,
animæ cibus, totiusq; hominis conseruatio & uita, fide
uera in ipsum innitentis.

LIBER III.

De Doctri-
na & Do-
ctoribus.

COMPENDIUM summam & scopum uni-
uersæ doctrinæ euangelicæ hætenus graphice
depinxit Ioaannes, subiungit nunc peculiaria quædam de
doctrina, & doctoribus euangelij, quod nam horum sit
officium: qualis esse debeat eorum doctrina: quomodo
probanda

probande & cognoscende doctrine, an ex deo sine:
 quod Christus dominus nihil peccarit cōtra doctrinam Cap. 7.
 legis: quomodo item ueritatis doctrina prolata mundo
 excipiatur, & quantæ propter euangelium turbæ exo-
 riantur, dum hic uinculis, minis & cæde illud conatur
 opprimere excindereq;. In his tamen turbis perstat do-
 minus nihilominus animo intrepido, testimonium ferens
 ueritati, admonens etiam quæ mala maneant euangelij
 contemptores, & inculcans idem perpetuo doctrinæ
 genus, unde uidelicet salus sit, ex unico dei filio, si in
 ipsum credatur, & quæ sit fidei uis. Hanc pietatis do-
 ctrinam ut pij cupide recipiunt & complectuntur, ita
 impij irritantur magis ac magis, conantes ipsam con-
 uitijs defœdare, ac modis omnibus opprimere, sed dei
 potentiam non superat impotentia hominum, quæ sem-
 per frustratur & delusa atq; turpiter confusa abit.

Post hæc ponit Ioannes insigne bonitatis & miseri- Cap. 8.
 cordiæ dei exemplum, unde intelligere licet quomodo
 Iesus sit fons aquæ uiuæ sitientes potans ad uitam eter-
 nam. Rursus autem sub inuolucro alterius cuiusdam pa-
 rabolæ sanæ doctrinæ summā comprehendens, docet se
 esse lucē & saluatorē totius mundi: quam ueritatis do- Christus
lux.
 ctrinā Iudæi rixatores polluere conantes multa cauillan-
 tur. At tuetur & confirmat illam dominus gnauiter, ac
 firmiter, denunciatis contentiosis poenā, aperiens simul

E V A N G E L I V M

contentionis errorisq; causas, ac subinde se clarius clar
riusq; explicans quod sit saluator mundi, qui seruet cre
dentes, incredulos damnet: quod doctrina eius certa sit
& infallibilis, id quod iterum atq; iterum repetendo in
tulcat. Hoc enim mordicus in omnibus concertationi
bus retinendum est. Porro fideles et sanctos, qui ipsi cre
diderant, plenius instruit quid faciant, quomodo opora
teat in cognita ueritate perseuerare, & quæ sit libera
tas filiorum dei. Rursus refellit prauam iudæorum glo
riationem, iactantiū se esse filios dei ac semen Abrahæ.

Filij Abra
hæ.

Docet enī dominus qui sint ueri Abrahæ filij, quod in
genium filiorum dei & diaboli, item quod ingenū, quæ
opera diaboli, ac notam quidem filiorum dei euidentissi
mam esse auscultationem uerbi dei. Hanc fidelem & e
gregiam domini disputationem conuitijs excipiūt iudæi,
quibus dominus denuo summam ueræ & sanæ doctrī
næ ingerit, non nisi fide in Iesum Christum constare sa
lutem & uitam mundi, adeoq; ipsum Abrahamū uixisse
per fidem Iesu Christi filij dei. Ad quam ueluti blasphem
iam extremam excitati lapides arripiunt, animaduera
suri scilicet in blasphemum: uerum hic sese è turba sub
duxit tumultuantium.

Suppeditat autem tota hæc totius lib. 4. disserta
tio pulcherrimum exemplum rei maxime necessaria,
quomodo uidelicet oporteat in omnibus turbis, perse
quitos

quationibus, minis, disputationibus, rixis, conuitijs atq;
calumnijs huius mundi unice ad Christum ac infallibile
huius uerbum euangelij ceu unicam in procelloso ponto
Cynosuram respicere, & fidem in eum constantissime
retinere.

LIBER V.

COPIOSISSIME & elegantissime describit deinceps apostolus quintum domini miraculum siue beneficiũ cæco cuidam nato præstitum. Quo dominus Iesus ceu uiuo factò id confirmat atq; declarat, quod modo proposuerat toti populo in templo, se uide-
delicet esse lucem mundi, qui uenerit illuminaturus & uiuificaturus omnes credentes. Nunc enim cæcum natum illuminans, ipsa re manifeste significat atq; comprobat, se illuminatorem esse. Imò sub finem historie hoc factum suum quàm latissime ad omnes extendens homines, subdit, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant: qui ueluti status est ad quem totam referamus historiam. Interea ueluti in scena quadam proponitur spectanda acris concertatio piorum ac impiorũ, propter religionis negotium ac confessionis euangelicæ ueritatem. Depinguntur mores & ingenia, non modo hostium uerbi dei, sed & simplicium Christianorũ, quorum officium,

Cap. 9.

Christus
lux.

E V A N G E L I V M

libera confessio & fidei incrementa hic describuntur. Proinde uidebis ceu in uiua quadam pictura impiorum consilia et conatus quibus ueritatē insectantur, tenebris inuoluunt & opprimere nituntur. Videbis miram uasfriciem, iram & inuidiam implicabilem & seuitiā planē extremam. Videbis rursus fidelium simplicitatem, sinceritatem, patientiam, constantiam, & in omnibus uictoricem ueritatem, quæ sedendo semper uincit.

Cap. 10.

Post hæc grauitè accusat cecos ac perfidos populi iudaici pastres: simul autē indicat se uerum illum esse pastre qui morte sua gregem uiuificet, sua potentia & cura ab omnibus malis redimat salubriq; reficiat pabulo. Nihilominus præfert in his exemplum optimi pastoris omnibus fidelibus pastoribus, erudiēs quid ipsos deceat, & quod sit eorum officium: præcipue tamen inculcat id, quod nullibi non solet urgere, se esse saluatorem mundi, qui sua morte credentes uiuificet. Caterum exoritur propter hanc doctrinam noua turba nouaq; dissensio, alijs quidē constanter propositam calumniantibus ueritatē, alijs uero eandē nihilo segnius tuentibus ac defendentibus. In Encenijs proponūt domino aduersarij questionē unde nouā caperent calumniandi ansam. Quærunt: An sit Christus benedictus ille dei maximus filius, id est Messias? & si sit, palam, diserte & luculenter id profiteatur. Profitetur ergo dominus Iesus, &

Christus bonus est pastor.

nois

non modo profitetur, sed comprobatur etiã quod sit Christus benedictus ille, benedicti dei filius. Qua professione isti irritati magis quam instructi, lapidibus Iesum cum blasphemia obruere uolunt. Hic uero amice cum illis exostulans ostendit se reuera esse dei filiũ, neq; in maiestatem patris peccasse quicquã. Verũ cum apud crassos inflexibiles & cecos aduersarios nullæ ualerent rationes, denuo relictis illis & transmissis Iordane, redijt ad eum locum ubi Ioannes primum cœperat baptizare. Reperit ibi oues obsequentes non paucas. Nam multũ illic crediderant in Iesum.

LIBER VI.

HACTENVS magna & diuina audiuius, Lazarire-
suscitatio.
sequuntur porrò maiora propemodũ ac diuinitate, ante omnia resuscitatio per Christum Lazari iam quatuor diebus in sepulchro positi & foetentis. Appetebat ultima Christi domini dies, quo se pro salute hominum deo patri in odorem bonæ fragrantie offerret. At quo Cap. 11. propius ad mortem peruenitur, hoc illustrius depromit se uis & fructus mortis dominicæ. Certè sexto hoc ultimo signo siue miraculo suo demonstrat dominus manifestissime se uitam esse totius mundi, qui quanquam in cruce moriatur, credentiũ tamen animas in morte seruare, et mortuos excitare possit. Hoc autem cum carnis

ac rationi humane difficile sit creditu, tractatur historia hac & copiose et exacte, adde & euidenter, ut ipse coram omnia inspicere putes. Informatur interim in Martha & Maria fides nostra, qualis esse debeat. Vniuersa autem historia confirmantur animi sanctorum contra metum mortis, mitigatur, adeoque tollitur scandalum crucis, & indicatur causa odij & inuidie sacerdotum siue senatorum populi Israelitici, qua excæcati de occidendo Christo consultant. Consultatio ea paucis sed euidentibus perstringitur.

Cap. 12.
Conuiuium
Bethanien.

Huc iam pertinet conuiuium in Bethania celebratum, cuius descriptione causa ostenditur qua impulsus Iudas sacerdotibus Iesum uendere atque prodere statuit. Per cætera prosequitur Ioannes reliqua quibus gloria & uirtus Christi subinde clarius atque clarius emicuit atque illuxit populo Israelitico: in primis quod urbem regia ingressus pompa, declarauit se illum esse regem et liberatorem populi dei, quem propheta futurum prædixerunt. Dolebat id phariseis, qui magnitudine potentia & euidentia rerum Christi adobruti de rebus suis desperare coguntur. Adhæc accedit illud quoque quod Græci siue gentiles Hierosolymam Iesu uidendi salutandique gratia ex remotissimis oris ueniunt. Quæ ex re occasionem accipit dominus dicendi de morte sua, de fructu eiusdem, & consequente mortem mox insigni longe

longe maxima gloria. Orat item ut pater illustret gloriam suam. Fit oraculum coelitus ad preces domini respondens. Dominus inde rursus clarissime docet quis ex morte ipsius ad fideles rediturus sit fructus. Cum autem ex his quaestione moueret turba, de aeternitate Messiae, hic ad fidem adhortatur, Iudaei nihilominus in incredulitate pergunt, id quod Ioannes Isaiam praedixisse demonstrat. Caterum ad confirmandos infirmos in fide, uehementissimum habet sermonem dominus, quo etiam suae doctrinae, hactenus publice propositae, epilogum contexit.

LIBER VII.

SANCTVS Ioannes ea hucusque tradidit quae priuatim & publice dominus ante passionem suam dixit & fecit inter suos familiares & coram tota plebe tam disputando quam concionando, plenissimam euangelij doctrinam & asserens & tradens ecclesiae: per consequentia uero describit secreta & mystica quaedam tam dicta quam facta domini quae in ultima & arcana illa Coena sua coram discipulis perorauit atque peregit. Ardent hic & diuino quodam fulgore rutilant omnia. Proponuntur enim hic & explicantur omnia fidei nostrae ac regni dei mysteria, lautissimumque animae & spiritus epulum liberalissime ab ipso dei filio ecclesiae instruis

*Mysteria
domini maxima in
Coena explicantur.*

E V A N G E L I V M

tur & profertur, ut auditor fidelis paulò attentius hæc considerans, non humanam se uocem exaudire, sed planè diuinam, nec in terrena aliqua cœna uersari, sed in ipsum cœlum admissus mensæ dei conuiuia esse uideatur. Præteritis tamen ijs quæ de hac cœna ultima alij tres euangelistæ & diligenter & copiose prosequuti sunt, Ioannes reliqua quæ nondum erant literis tradita plenissimè exequitur, ne quid deesset ecclesiæ Christi, sed haberet plenissimam rerum saluatoris sui historiam.

Cap. 13.

Initio ergo præfatus nonnihil, mox inducit dominum discipulis suis lauante pedes, atq; eo factò uerbis simul additis commendantem & humilitatem & charitatis officia, explicantem item effectum siue fructum passionis suæ. Post ea ponitur non indiligens & inutilis de prodicione iudæ dissertatio. Is ubi elapsus è sanctorum sacrosancto conuiuio sicarios iam colligeret qui Iesum caperent, sensit hic ultimam nunc adesse horam, uidit item discipulos suos graui oppressos mœrore uarie tentari atq; angi, egregiam ergo orationem meditatur & instituit qua suos consoletur, & de omnibus rebus suis eos admoneat atq; plene instituat. Hoc enim solent facere morituri, consolari uidelicet suos, de uarijs rebus præcipere, grauiusq; monere. Ad eundem enim modum dominus prolixam et utilissimam orationem ad 17. cap. usq; descriptam ad suos habet, quam perspicuitatis gratia

tia in duas diuissimas partes. Prior absolvitur postremis
 13. capitulis & integro 14. capite. Posterior compre-
 henditur 15. & 16. cap. Caterum oratio domini siue
 concio uaria est, nec ad unum & certum aliquem refer-
 tur scopum, nisi consolationē & institutionem spectes.
 Omnia enim huc tendunt ne turbentur discipuli Christi,
 & ut norint mysteria Christi, & sciant quid faciant.
 In primis autē differit de morte sua, quæ quoniã mundo
 uisa est probrosa esse & infamis, ipse docet & patrem
 & filium morte glorificari. Deinde quia ab ipsis disces-
 surus erat, ne ignorarent quomodo se gererent, & qui-
 bus inter se uiuendi legibus uterentur, non obruit ipsos
 numerosis præscriptionibus, sed unicam commendat
 charitatem.

Interrumpitur hic tamen modice domini oratio per
 audacem D. Petri pollicitationem, quam compescens
 dominus in instituto pergit, ac profitetur palam se deũ
 esse uerum, quo fidem suorum, in qua est maximũ con-
 solationis firmamentum, fulciat. Addit se ideo abire ac
 mori ut uiam nobis in coelos aperiat. Mox plenius de-
 monstrat Philippo ac reliquis, quod patri per omnia
 coequalis & consubstantialis sit: imò patrem nõ posse
 cognosci nisi per filiũ. Iam etiam adhortatur ad fidelem
 mandatorũ suorum obseruationem: promittit alium pa-
 racletũ. Congerit præterea multas rationes, quibus &

Cap. 14.

EVANGELIUM

consoletur moerentes animos, & incitet ad uehementis pietatis studium. Hinc uero paulò copiosius differit de paraclete siue spiritu sancto, ac apertissime dicit se breuui tradendum in manus hominum peccatorum: sed ita interim seruandum fore mundum.

LIBER VIII.

CAP. 15.
ABSOLUTA prima parte orationis domini Iesu à cœna habitæ ad discipulos dilectos, uenimus nunc ad secundam, quæ in itinere uersus montem oliuarum dicta uidetur, ac 15. & 16. cap. comprehenditur. Cohæret ea cum superioribus ad hunc modum. Sæpe iam dixerat dominus se ex hoc mundo ad patrem abiturum, interim ne discipuli se deserendos planè arbitrarentur, adiecit se unà cum patre & sancto spiritu uenturum ad ipsos, ac in ipsis mansionem facturos, si modo præcepta eius seruare pergant. Id iam ueluti repetens quasiq; expoliens elegantissima uitis palmitiq; parabola in medium prolata luculentissime differit de immanentia, ut sic dicam, siue præsentia ipsius in ecclesia, adeoq; de uera Christi & sanctorum communione, quod inquam spiritu, uirtute & operatione euidentius in nobis sit mansurus, si modo nos per fidem & dilectionem manserimus in ipso. Et certe hoc nomine copiosius

Præsentia
Christi in
ecclesia.

piofius paulò agit de dilectione. Obiter autem & de dignitate fidelium differit, quos amicos non seruos appellat. Rursus ne superbirent, addit hoc eis gratuita dei electione obuenuisse, qui elegerit ut abeant & copiosum fructum afferant. Cæterū discipuli iam iam sentire incipiebant quanta ipsis subeunda forent pericula, iccirco metuebant sibi non mediocriter. Dominus ergo confirmans eorum mentes, multa & uaria disputat de cruce & tolerantia, iterumq; paracletū promittit qui in turbis & persecutionibus incitet, animet atq; confirmet.

Præterea de huius effectibus uiribus atq; officio Cap. 16. multa, magna cum utilitate disputat, explicās quomodo corpoream præsentiam, quæ post mortem suam in terris nil sit profutura, spiritus dono sacrturus sit, quomodo per hunc paraturus sit in orbe ecclesiam & in hac regnaturus. Iterum tamen inculcat se moriturum prius, & hinc graui mœrore opprimendos discipulos: quos mox consolando erigens denuo, asserit mœrorem non fore diuturnum, gaudium uero quod ex resurrectione oboriatur & consequatur mœrorem, fore perpetuum. Id quod per parabolam declarat parturientis mulieris.

Ad hæc ne de corporis discessu in coelos tristarentur nimium, pollicetur suis omnia se docturum per spiritum regni dei mysteria, donaturumq; quæcūq; in suo id est Christi nomine postulauerint: simul autem colli-

E V A N G E L I V M

git in breuem summam totum negotium redemptionis, hoc nimirum penitus infigere cupiens ipsorum cordibus. Quæ quum magno cum applausu reciperent & laudarent discipuli, profitentes se iam credere & plane intelligere quod ipse sit dei filius, prædicit his quod mox ipso deserto quisq; sibi fuga sit consulturus. Sub finem uero totam orationem hucusq; à 13. capite contextam concludens, & quo omnia referenda sunt subindicans, Hæc locutus sum uobis, inquit, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum.

L I B E R I X.

POSTEA QUAM dominus noster Iesus sermone his planè diuinis discipulos suos partim consolatus esset, partim erudiisset & instruxisset aduersus imminentem malorū procellam, quoniam unice admonuerat fiduciam non collocandam esse in ullis rebus humanis, sed præsidio cœlesti, porrò exemplo suo docet ut ingruentibus afflictionibus nō aliò spectent quàm ad patrem cœlestem. Iam itaq; suam subiens passionem, incipit eam à precibus ad patrem suis, cui se primū commendat, deinde apostolos, postremo omnes apostolorum doctrinæ credentes, obsecrans ut se glorificet, apostolos

Oratio domini Ioan. 17.

item & fidelium ecclesiam per hunc impurissimum mundum
deducat in studio ueritatis pietatis, & charitatis, sibiq;
eternum coniungat. Absoluta oratione subit in montem
oliuarum, abiens in hortum, quo repetitis sese deo preci-
bus commendaret. Interea collegerat perfidus iudas e-
sceleratissimis quibusq; cohortem, ac imminet innoxio.

Cap. 18.

Dominus ut ostenderet se pati ultrò & uoluntarie, ac
omnipotentem esse, tametsi patiat sibi iniici catenam,
prosteruit semel atq; iterum cohortem in horto, deinde
spontaneè tradit seipsum impijs uinciendum. Ibi satis
infeliciter pugnabat Petrus, ac coërcebatur à domino,
quem mox producit ad Annam pontificem, & ab hoc
ad Caiapham, quod is esset eo anno in summi præfula-
tus dignitate constitutus. Fit inquisitio in doctrinam Iesu,
cumq; hic responsionem pararet, indignissime ceditur
à ministro pontificio. Inter hæc turpissime negat et ab-
iurat dominum Petrus. Cæterum ex curia pontificis
recta in prætorium proconsulis abducitur Christus,
quod mortem commeruisse uideretur. Accusatur coram
Pilato, & discutiuntur accusationis capita, uerum nul-
lam in ipso culpam inueniens Pilatus, arte ipsum libera-
rare tentat.

Passio Chri-
sti.

Quod cum cessisset sinistre, flagris discissum & co-
rona spinea coronatum, producit ad multorum capi-
tum beluam uulgus. Hoc conclamat cruci esse figendum.

Cap. 19.

EVANGELIUM

Pilatus uero multa rogans, tandem tamen Iudeorum improbis uictus clamoribus, Iesum tradit crucifigendū. Accipitur ergo à militibus, et educitur in locū caluarie ad suppliciū. Ibi medius inter latrones erigitur in cruce. Cruci imponitur per Pilatum non sine magna contentatione & controuersia titulus siue causa mortis. Porro milites discindunt uestes domini, et pro tunica inconsulti sub cruce sortiuntur. Dominus autem à cruce matrem suam commendat Ioanni: sitit, & propinatum in spongia acetum bibere renuit, sancteque testans omnia consummata, & sacrificium perfectum, tradit deo patri spiritum.

Postea franguntur crura latronibus, Iesu aperitur latus, profluit ex eo sanguis & aqua. Qui uidit, sancte ueritatem attestatur Ioannes. Postremo autem adsunt pii ac religiosi uiri, qui depositum à cruce mortuum domini corpus, honestissime condunt atque sepeliunt.

LIBER X.

Resurrectio
domini ue-
ra.

MAXIMA fide & diligentia hac euāgelij sui parte postrema enumerat Ioannes manifestissima gloriose ex mortuis Iesu Christi domini nostri resurrectionis testimonia & argumenta, quibus plene & plane demonstrat ipsum uere uero suo & rediuiuo corpore

pore resurrexisset ex mortuis. De modo resurrectionis
 & naturali ordine reuelationum non fuit admodum so-
 licitus. Videbat enim id alios abunde satis prosequutos Cap. 20.
 adumbrasse. Ipse ergo selectissima duntaxat consignat:
 ac initio quidem ostendit quomodo Mariæ Magdalene
 se exhibuerit rediuuium. Nam & Marcus, Cum sur-
 rexisset, inquit, Iesus mane, primo die sabbati, apparuit
 primum Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæ-
 monia. Hæc uero quid uidisset, protinus exponit aposto-
 lis: ex quibus duo ad sepulchrum procurrentes, certis
 signis atq; indicijs deprehendunt, illam rem non uanam
 narrauisse. Ipse uero dominus manifeste manifestam eius
 resurrectionem decem congregatis discipulis exhibere
 uolens, prodit in medium ipsorum, atq; manus & latus
 cicatricibus uulnerum insignes palam ostendit eis, ap-
 probans ita ueritatē ueræ suæ resurrectionis. Mox mi-
 nisterium prædicandæ salutis & redemptionis commit-
 tit atq; iniungit apostolis, clauas nimirum regni cælo-
 rum credens. Hæc cum agerentur, cæteris discipulis in-
 unum congregatis, solus aberat Thomas, cui mox re-
 deunti, gestientes gaudio discipuli, renunciant quod ui-
 didissent dominum. Ille suspicatus ipsos phantasmate ali-
 quo ludificatos fuisse, negat se crediturum, nisi oculis
 proprijs spectet coram corpus Iesu, adeoq; & manibus
 palpans contrectet corporis ueritatem. Post dies igitur

Octo cum denuo in unum conuenissent discipuli undecim omnes, adest iterum dominus Iesus, ac manifestissime se cernendum oculis & manibus palpandum exhibet Thomae, qui rei euidentia ueritateque conuictus, exclamat se iam pro domino & deo suo Christum agnoscere et adorare.

Cap. 21.

Et haec quidem euenerunt in ipsa Hierosolymorum urbe, & circa ipsum domini sepulchrum: quae quamuis sufficere poterant ad fidem resurrectionis plene confirmandam, adicit tamen Ioannes insigne quoddam argumentum, quo in Galilaea declarauit se ex mortuis resurrexisse, sumpto etiam cum discipulis prandio. Promiserat enim dominus tam priuata sua pollicitatione, quam per angelorum promissa, fore ut ipsum in Galilaea uiderent. Caterum ei reuelationi appendit Ioannes colloquium quod a prandio mox habitum est a domino cum Simone Petro, quem restituit ministerio, praedicens ipsi fatum suum triste. Ille admiratus quid Ioanni euenturum esset, audit quemlibet suam spectare debere uocationem. Postremo protestatione facta, quod res domini Iesu bona fide descripsit Ioannes, claudit euangelicae ueritatis historiam.

EXHIBVI tibi denuo, Lector pie, seruatorem tuum dominum Iesum Christum, uerum illum & naturalem dei filium, a patre aeterna & inenarrabili natiuitate genitum, patri consubstantialem & coequalem in omnibus: in fine autem temporum, iuxta prophetiarum

eorum fidem oraculorum, incarnatū pro nobis, passum,
 uere mortuum, & ex mortuis resuscitatum, factumq;
 rerum omnium regem & dominum. Hic cum sit desi-
 gnatus nobisq; datus à deo patre plenitudo omnis gra-
 tiæ & ueritatis, agnus ille dei qui tollit peccatū mundi,
 scala ac ianua cœli, serpens exaltatus, qui uenenum red-
 dit innoxium, aqua sitientes reficiens, filius patri nos
 reconcilians, panis uitæ, saturitas ac deliciæ animæ, lux
 ac oculus mundi, liberator filiorum dei, illuminans om-
 nes nostras tenebras, pastor ouium & ostium, resurre-
 ctio & uita, granum frumenti renascens, uictor princi-
 pis huius mundi, exemplum uitæ, uia, ueritas, & uita,
 uitis uera & frugifera, deniq; redemptio, salus, satisfā-
 ctio & iustitia omnium fidelium in toto orbe, per om-
 nes ætates & omnia secula, inuocemus patrem nostrū
 per dilectissimi huius filij sui, domini nostri Iesu nomen,
 ut euāgelio hactenus docti instructiq; cognoscamus uere
 eum qui uerus est, & credamus in eum qui nobis à pa-
 tre datus, & in quo uno & solo salus est, credentesq;
 sentiamus hic uiuentem in nobis deum, ac in futu-
 ro seculo fruamur æterno et beatissimo eius
 consortio, Amen, Amen.

F I N I S.